

longissimis laevibus apicem versus scabriusculis albis vel purpureo-fuscescentibus; pappi sordidi setis plumosis apice nudis.

Habitat inter fluvium Fan et lacum Iskander-kul altitudine 5—6000'. Julio mense anni 1882 legit Dr. A. Regel.

Plantae caules 3,5—4,5 decim. alti, capitula c. 5 centim. longa basi 2 centim. lata sunt.

Proxime affinis est *S. macrospermae* Turcz., a qua tamen caule ramosissimo foliis anguste nec late linearibus margine laevibus nec scabris haud aegre dignoscitur.

### 9. *Scorzonera bracteosa* C. Winkl.

(*Euscorzonera* DC.)

*S. perennis* radice crassa fusiformi verticali caule erecto basi foliorum pristinorum rudimentis dense obsito, striato glabro vel hac atque illac floccoso simplici ad apicem versus corymboso-ramoso ramis monocephalis infra capitula floccoso-lanata; foliis radicalibus et caulinis inferioribus lanceolatis in petiolum longum attenuatis, petiolis vaginantibus; foliis caulinis superioribus et summis late lanceolatis utrinque acuminatis sessilibus, summis apice acuminatis basi lata caulem amplectentibus, omnibus glabriusculis vel hac atque illac subfloccosis; capitulis cylindraceis maximis in ramorum apice solitariis, bracteis 2—3 foliis caulinis summis simillimis quam capitula brevioribus vel saepius illa superantibus suffultis; involucri phyllis imbricatis 4—5-seriatis, extus dense et adpresse lanuginosis, intimis lineari-lanceolatis, mediis oblongo-lanceolatis, extimis ovatis vel deltoideis valde abbreviatis; receptaculo nudo foveolato, foveolorum marginibus cartilagineis; flosculis flavis; achaeniis ad costas obsolete transverse muricatis caeterum glabriusculis; pappi setis plumosis summo apice nudis.

Habitat in terra Hissar. In cacumine Chodscha-Bulak et prope pagum Jomut montium Gasi-Mailik altitudine 4—5000' Majo mense anni 1883 cl. Dr. A. Regel collegit.

Plantae 5—7 decim. altae folia caulina inferiora 3 decim. et ultra longa sunt; foliorum caulinarum superiorum longitudo inter 0,5 et 1,5 decim. variat. Folia 1,5—3 centim. lata sunt; bractee fere aequilatae 2—7 centim. longae sunt. Capitula cum flosculis exsertis longitudine saepius 4—5 centim. diametro basi 12 millim. attingunt. Achaenia matura 2,8—3 centim. longa sunt; pappus 2,5 centim. vix excedit.

*S. bracteosa* capitulorum magnitudine et structura proxime affinis est *S. macrospermae* Turcz., sed ab illa et ab omnibus *Euscorzoneris* capitulis bracteatis distinctissima.

#### 10. *Barkhausia glandulifera* C. Winkl.

*B. annua* glanduloso-hispida, caule ab ima basi fere corymbosoramoso vel rarius simplici; foliis parce hirsutis inferioribus oblongo-lanceolatis in petiolum brevem attenuatis margine repandis vel obscure et irregulariter denticulatis, denticulis corneis apice obtusiusculis; foliis superioribus et summis ovato-lanceolatis sessilibus caulem amplectentibus auriculatis, auriculis saepius mucronatis, mucrone corneo, apice manifeste mucronatis, mucrone summo apice corneo, margine subintegris denticulis rarioribus; pedunculis virgineis nutantibus; capitulis hemisphaericis mediocribus; involucri phyllis exterioribus c. 12 minimis subulatis herbaceis dorso dense glandulosis, interioribus exteriora 3—4-plo superantibus carinato-navicularibus crassis dorso dense glandulosis margine membranaceis ciliolatis; receptaculo plano scrobiculato, scrobiculorum saltem mediorum margine hac atque illac pilosis, pilis subsolitariis brevissimis; flosculis flavis involucri phylla excedentibus; styli ramis tenuissimis; achaeniis marginalibus phyllis involutis lateraliter compressis incurvis ad apicem et ad basin versus vix attenuatis pilosiusculis dorso manifeste striatis quam pappus sesquolongioribus; achaeniis disci manifeste utrinque angustatis, apice in rostrum achaenium subaequantem vel quam illud triplo brevius attenuatis 10—12-striatis, striis subtiliter muricato-serratis;